

THE COLLEGES OF OXFORD UNIVERSITY

Entrance Examination in Classics

and

Entrance Examination in Modern Languages

LATIN TRANSLATION

Thursday 21 November 1991. Afternoon.

Time allowed: 3 hours

Candidates should attempt all four passages. They are in roughly ascending order of difficulty, and candidates are advised to work them in sequence. Credit will be given for all work done, even if the paper is not completed.

- (a) *An over-confident Conon is trapped by Tiribazus.*

Conon cum parte navium in patriam venit, muros dirutos a Lysandro utrosque, et Piraei et Athenarum, reficiendos curat pecuniaeque quinquaginta talenta, quae a Pharnabazo acceperat, civibus suis donat. Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda quam in adversa esset fortuna. Nam classe Peloponnesiorum devicta, cum ultum se iniurias patriae putaret, plura concupivit quam efficere potuit. Neque tamen ea non pia et probanda fuerunt, quod potius patriae opes augeri quam regis maluit. Nam cum magnam auctoritatem sibi pugna illa navali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset non solum inter barbaros, sed etiam omnes Graeciae civitates, clam dare operam coepit ut Ioniam et Aeoliam restitueret Atheniensibus. Id cum minus diligenter esset celatum, Tiribazus, qui Sardibus praeerat, Cononem evocavit, simulans ad regem eum se mittere velle magna de re. Huius nuntio parens cum venisset, in vincla coniectus est, in quibus aliquamdiu fuit.

(CORNELIUS NEPOS, *Conon* 4.5-5.3)

inconsideratus = hasty, injudicious

TURN OVER

(b) *Country life as a remedy for love.*

Rura quoque oblectant animum studiumque colendi;
 quaelibet huic curae cedere cura potest.
 Colla iube domitos oneri supponere tauros,
 sauciet ut duram vomer aduncus humum.
Obrue versata Cerealia semina terra,
 quae tibi cum multo fenore reddat ager.
 Aspice curvatos pomorum pondere ramos,
 ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.
 Aspice labentes iucundo murmure rivos,
 aspice tondentes fertile gramen oves.
 Ecce, petunt rupes praeruptaque saxa capellae:
 iam referent haedis ubera plena suis.
 Pastor inaequali modulatur harundine carmen,
 nec desunt comites, sedula turba, canes.
 Parte sonant alia silvae mugitibus altae,
 et queritur vitulum mater abesse suum.

(OVID, *Remedium Amoris* 169-84)

oblecto = amuse, divert
vomer = ploughshare
obruo = cover
fenus = interest
peperit, from pario = bring forth, produce
uber = udder

(c) *A man has a dream in which Jupiter expresses displeasure at an event in the games, and orders him to inform the consuls; the man's initial delays cost him dear.*

Haud ita multo post Tito Latinio, de plebe homini, somnium fuit; visus Iuppiter dicere sibi ludis praesultatorem displicuisse; nisi magnifice instaurarentur ii ludi, periculum urbi fore; iret, ea consulibus nuntiaret. Quamquam haud sane liber erat religione animus, verecundia tamen maiestatis magistratum vicit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret. Magno illi ea cunctatio stetit; filium namque intra paucos dies amisit. Cuius repentinae cladis ne causa ei dubia esset, aegro animi eadem illa in somnis obversata species visa est rogitare, satisne magnam spreti numinis haberet mercedem; maiorem instare ni eat propere ac nuntiet consulibus. Iam praesentior res erat. Cunctantem tamen ac prolatantem ingens vis morbi adorta est debilitate subita. Fessus igitur malis praeteritis instantibusque, consilio propinquorum adhibito, cum visa atque audita et obversatum totiens somno Iovem, minas irasque caelestes repraesentatas casibus suis exposuisset, consensu inde haud dubio omnium qui aderant in forum ad consules lectica defertur.

(LIVY 2.36)

praesultator = dancer
instauro = start afresh
aeger animi = worried in mind

(d) *The ghost of Scipio's father urges him to attack New Carthage.*

Nox similes morti dederat placidissima somnos:
visa viro stare effigies ante ora parentis
atque hac aspectu turbatum voce monere:
'nate, salus quondam genitoris, nate, parentis
et post fata decus, bellorum dira creatrix
evastanda tibi tellus, et caede superbi
ductores Libyae cauta virtute domandi,
qui sua nunc trinis diducunt agmina castris.
Si conferre manum libeat coeantque vocatae
hinc atque hinc acies, valeat quis ferre ruentes
tergemina cum mole viros? Absiste labore
ancipiti, sed nec segnis potiora capesse.
Urbs colitur, Teucro quondam fundata vetusto,
nomine Carthago; Tyrius tenet incola muros.
Ut Libyae sua, sic terris memorabile Hiberis
haec caput est: non ulla opibus certaverit auri,
non portu celsove situ, non dotibus arvi
uberis aut agili fabricanda ad tela vigore.
Invade aversis, nate, hanc ductoribus urbem.
Nulla acies famae tantum praedaeve parabit.'

(SILIUS ITALICUS 15.180-201)